

Andreae Lacvnae Segobiensis Annotationes in librum primum Dioscoridis, ab Ioanne Ruellio Suessionensi uersum.

Capite de iride, statim in ipsis auspiciis, vertit hunc in modũ Ruellius: Purpurei, aut coerulei conspiciuntur, &c. Quae sanè coniunctim, non diuisim, erant vertenda. Nam etiamsi legamus in Graecis codicibus vniuersis, πορφυρᾶ, ἢ κυανίζοντα, sciendum tamen est, persaepe apud scriptores Atticos reperiri disiunctiuam illam particulam ἢ, vice καὶ, coniunctivae: id quod certè, si alicubi, maximè in loco citato contigit, vbi Dioscorides ait, flores iridis esse colore varios, videlicet candidos, pallidos, luteos, purpureos, atque coeruleos: ob quam quidem va rietatem colorum, qui reperiuntur in vno eodémque iridis flore, meruit vocari ea planta iris, hoc est, ar cus coelestis: quae nomenclatura si attributa illi esset ob diuersitatem colorum conspectam non in vno indiuiduo, sed in pluribus speciebus diuersis (vt perperam nonnulli sunt arbitrati) simili profectò ratione, viola veniret vocanda iris, quòd ex violis hae quidem albae, illae luteae, aliae purpureae, atque aliae denique coeruleae cernantur. Vsurpauit itaque sibi meritò iridis nomen, hoc est, arcus coelestis, ea plan ta, ob colores illos varios, qui ad exornandos singulos flores eius, conspirant. Nam quemadmodum in arcu coelesti repraesentantur nobis colores varij, candidus nempe, viridis, luteus, purpureus, atque coeruleus, omneis simul, atque iuxta se positi, sic nimirum in vno eodémque iridis flore, imò verò in vnico floris folio, licet nobis eosdem colores distinguere.

Ibidem paulò inferius, dum de radice agitur

Ruellius vertit, gustu amaro, &c. vbi legitur Graecè, Γεύσεις πρωτέρα: id quod est, feruentiori gustu: qualis certè in iride, animaduertitur: licet non eo inficias, eam etiam amaricare.

Cap. de Nardo.

Ruellius: Quod vitiũ ex eo depraehenditur, quòd candida sit spica, & squalida, nullòq; puluere obsita, &c. Quorum verborum vltima pars sic legitur Graecè, καὶ μὴ ἔχειν τὸν χνοῦν. Quod est, Careátq; lanugine, &c. Ait quippe Dioscorides, saepe vendi madefactas spicas nardi: caeterùm diagnosci fraudem ex eo, quòd sint candidae, squalidae, ac prorsus destitutae lanugine, vt solent omnia conspersa corpora, quae vel si maximè hirsuta sint, con spiciuntur tamen admodũ glabra, vbi madefacta & abluta fuerint.

Ibidem paulò inferius.

Ruellius: Intueri autem oportet, si lutum radicibus insideat, & incerniculo puluerem excutere, eluendis manibus vtilem. Graecè legitur, ἐπὶ δὲ τῆς χρείας ἀφαιρεῖν δεῖ, ἐ προσείη ταῖς ρίζαις πηλὸς, καὶ στήθειν, χωρίζοντα τὸν κονιορτὸν, εὐχρηστοῦντα εἰς χειρόνιπτρον, &c. Quod est, Dum autem vti nardo voluerimus, radices eius, luto, si quod eis insit, purgabimus, increti illius separabimus puluerem, abstergendis manibus quàm aptissimum, &c. Vbi sanè Dioscorides admonet, non semper esse purgandas luto adhaerente radices nardi (quum ad conseruationem odoris, firmitudinémque ipsarum, illud plurimum conferat) sed tantũ dum instat occasio vtendi: